



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Percussio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

intimationem litterarum ; secus si confertur per procuratorem. cap. 27. num. 272.

P E R C V S S I O.

- A** Percussio clerici est triplex, Enormis, Mediocris, Leuis. Enormis est percussio violenta, qua quis deformatur, vel fit membrum inutile, vel quasi inutile ad suum munus: & illa, ex qua effluit multum sanguinis (exceptis naribus vel alia parte, et qua facile erumpit sanguis) & illa, quae fit in proprium Episcopum vel Abbatem, vel
- B** causat magnum scandalum. Non est idem iudicium de quolibet excessu notorio, etiam facto in foro iudiciali, coram iudice, vel in Ecclesia, aut dormitorio, in facie vel oculo; nisi talis generet magnum scandalum. cap. 27. num. 92.

De percussione mediocri & leui habetur in extrauaganti cuiusdam summi Pontificis, qui fuit ante Innocentium I V. cuius tenor est hic.

Per ictis, &c. Respondemus, percussorem leuem esse pugni, palmi, manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis, qua nullam maculam, neque sugillationem carniū relinquit, neque abscindit membrum, sine effractione dentium, sine auulsione multorum capillorum, sine effusione

sione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere quod huiusmodi leuis percussio, ut pugni, aut unguis, fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad iudicandum tamen qua sit leuis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi, non solum factum, sed etiam qualitatem eius, & modum percutiendi, & ledendi cum omnibus suis circumstantiis loci, persone, & aliis. Persona si est magister, iudex, prelatus, pater, patronus, aut dignitas, percussus iniuste à subdito, aut ab alio se vilitati. Quia ex hoc interdum censentur graues iniuria, qua ex se sunt leues, aut mediocres. Et quia conditio negotij non patitur integram determinationem huius rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares, qua sit leuis, aut enormis iniuria: Admonentes, ut potius declares in dubio esse percussionem grauem, & ab ea non posse absolueri, quam declarando leuem occasionem præbeas ledendi statum Ecclesiasticum.

Non est intelligenda in hac materia percussio leuis venialis, quæ non inducit excommunicationem: sed percussio leuis mortalis, quæ inducit illam censuram: dicitur autem leuis, quia licet sit mortalis, est tamen minor quam enormis, & mediocris. cap. 27. num. 91.

Persona cuius arbitrio relinquit Pontifex harum percussionum censuram, potest esse

R r 4 esse

esse non solum Episcopus, sed etiam confessor. num. 91.

Percussio grauis eadem est, quæ enormis ibidem.

A percussione graui seu enormi clerici solus Papa absoluit. A mediocri etiam Papa sed aliquando potest Episcopus, ut cum sunt clerici simul viuentes in collegio: aut si tutor, executor, merinus, aut alius minister custodiens fores, & cohibens homines inferat manus clerico, absque intentione laedendi, & licet non sine culpa, tamen leuiter, aut mediocriter. Possunt absolui à suo prelato Religiosi percipientes mediocriter, aut leuiter, clericum: A percussione leui Episcopus absoluit. cap. 16. num. 8. & cap. 27. num. 92. Secus si sit à ministro Iustitiæ. num. 78.

Peccat mort. clericus, aut religiosus, qui præ ira percutit se ipsum, & est excommunicatus. Secus si ex deuotione, aut luctu, ob mortem parentum, vel amicorum leuiter se flagello aut manu percutiat: non tamen potest consentire, ut ista ob hunc finem ab alio ei inferantur. cap. 15. num. 11.

PERMISSIO. Non peccant qui pueris ad vitia procliuius permittunt occasiones labendi, ut comprehensi vtilius castigentur. cap. 24. num. 13.

PERMUTATIO. Quod habetur per permu.